

D
N
1080.1694
1991.1661





1. Ammersbach's Henr. philosophischer
Paußmantel, Curdl. 1665.
2. Annoni's Hier. die große andächtig Art
der Geistl. Lieb. Dersel 1740.
3. Cellarij's ~~Paltus~~ beifon ywändig. G. Calixti
Helmsf. 1656.
4. Dieterich's. Cur. discurs von Königs-
Raub und Barmh. Hebr. 1639.
5. Charisij's Joh. Paltus abzugl ywändig,
Königsbl. 1731.
6. Berend und Mürben Gwibin
der Lithauer 1706.
7. Christophorensi's Christoph's trenodia
in Worten Comitis Ant. in Altenburg
v. d. d. 1680.

8. Daciani s. Joh. Epicedia pauli
Daciani, jeno 1699.
- ~~9. Dupolys s. Coar. Bist. yndigt
Conr. protory. Antem. 1655.~~
10. de Dominis s. Marc. Ant. Causa
deliberata secessionis sue ab
Ecclesia papistica, 1617
- ~~11. Fabrity s. Andr. Bist. yndigt
Herr. Mansauon, Mayde. 1661.~~
- ~~12. Falc. Reisen s. Theod. Bist. yndigt
D. Werenfels, Passel. 1770.~~
12. 16. Orem s. Nic. yndigt
in juv. dm. yapp. Urbano v. g. fall.
1369.
14. Hamelmann s. Herm. yndigt von
Semen von Cyrene, der die Heide
das Corin. König Longo
15. 12. Quilota scripta ad dominam de
Hoe fest. 1621.
16. 13. Hüller s. Joh. Frid. d. s. p. s. p. s.
Prast. sand gottel, 1697.
17. Horncij s. Coar. oratio funebris
memorie frid. Stuldij Ducis
Brunsvicensis, Helmst. 1661



- 1815 Frohniß s. Joh. Adolph / gründlicher
 Bestand der gültigen Art der
 Evangelischen Glaubensregeln
 1916 Odelem s. Joh. Philip / reliquie
 papo Casaria Romane in disci-
 plina Ecclesiastica apud Luthe-
 ranos. Brunsw. 1722.
- 2012 Parsimonij s. Joh. Seyditz / Jap-
 schütz / bib. anst. in d. St. d. d.
 und Reim s. Tubingen 1861.
- 2118 Reinbeck s. Joh. Gustav / Vertraulich
 mit Gott nicht sich selbst sondern
 mit an gütliche mittel gebunden
 Lub. Berlin 1741.
- 2219 ——— vom fleisch alle der göttlichen
 anwesend unter den Menschen
 Berlin, 1734.
- 2320 ——— die wege der göttlichen
 anwesend, Berlin 1739.
- 2421 Schmidt s. Fear. / der weisse
 weg Gottes in der Evangelien
 Reim. Berlin, 1718
- 2522 Schubert s. Fear. / Gottes Ritter an
 die Pündory ~~gebunden~~
 / Qualfeld 1741



20 23 Straly / Joh. / Engel ynd igtan,
Meyde Bibl


~~21 Triumph / G. W. / über gndäistans
Kdolph Henr. / Trunpff / Appellat.~~

24 24 Zell. si. Abt. Jac. / Ichrifft über den
Lage und den wasser im
Lofon der fude, Buchbriug
1741.


ms. 24 Nissellen.

Nr. 8. a. M. 12. 17 besetz

in alter Zeit unbekannt.







F. 8

EPICEDIA

MEMORIAE PIAE
REVERENDI, PIETATIS
ZELO, DOCTRINAE ET VIRTUTIS
LAUDE CONSPICVI SENIORIS, D. PAULI
DACIANI, τὸ μακροβίου, Ecclesiae MARLISHV SINAЕ
Annos XLII. Pastoris, qui emeritus & dierum satur
Coniugem chariss. CHATHARINAM:

*Quae prid. fest. Andreae Apost. Anno Christi 1593. ve-
ra in Christum fide instructa placidè obdormi-
vit, Anno aetatis 68.*

Binis mensibus exactè completis secutus est, & in
CHRISTO placidè expiravit MARLISHV SII
Prid. Convers. Pauli. AÑO CHRISTI 1594.
AÑO aetatis 74. Cum in uno coniugio vi-
xissent ambo 47. annos:

Ab amicis & omniū posita:

Illa, desideratiss. parentum beatis manibus pa-
rentando, ultimumque debitæ pietatis officium
præstando, suo & reliquorum hæredum no-
mine extare voluit

IOHANNES DACIANVS
FILIVS.



I E N Æ

TYPIS TOBIAE STEINMANNI.
ANNO MDXCIV.

Grab Schrift

Ern Pauli Daciani / von ihm selbst
gestellet / anno ætatis suæ Climæ
æterico magno 63.

Hie schlaff ich Paulus Dacian /
Dem Leib nach: Denn mein Seel ist schon
Erlöst/ vnd ruht in Gottes Reich /
Bis sie auch mit dem Leib zugleich /
Kom zu der grossen Herrlichkeit /
Die Ihesus Christ ons hat bereit /
Vnd spart sie bis ans Jüngst Gericht /
Do er zu seinen Christen spricht:
Kompt her ihr Ebenedeiten mein /
Die Himlisch freud soll ewer sein /
Welch euch von anbegin der Welt
Bereitet/ iht wird zugestelt/ Amen.

M. M. M. D.
V. N. F.

Distichon ab ipsomet compositum, & nunc mo-
nimento in templo Marlishul. erecto,
inscriptum:


*Pastor eram, populi indignus, Cantorq; Schola-
Terra vale, patrios letor adire polos. (rum,*

CATHARINA DACIANA,

Gch leb in Gott vnd mir ist wol/
Niemand mein Todt beweinen soll.

MONODIA IOHANNIS
DACIANI,

*Matri suæ desideratiss. piè defunctæ, in
luctu pietatis ergò conscripta.*



Lachrymosa dies, caræ quæ funera Ma-
tris

Nunciat; heu gravius nil mihi vita dedit,
Heu dolor, heu luctus, Matri quod adesse
negatum

Aegrotæ, natum dum vocat ipsa suum.

Ah quod non licuit voces audire supremas,
Et cum matre loqui funeris ante diem.
Heu quod non dextram morienti iungere dextræ
Concessum, & tandem dicere triste Vale.
Causa datur largos lachrymarum fundere rivos,
Fletibus & questus continuare meos.
Facundus dolor est, at me dolor iste disertum
Non reddit; stupido vulnera corde facit.
Afflictoq; gravem meditantis pectore luctum
Omne decus verbis subtrahit en gemitus.
Sic igitur moriens, sic ô carissima Mater,
Funere perturbas gaudia nostra tuo.
Ah genitrix veneranda, parens suavissima, Mater
Plus binis oculis semper amata mihi:
Nunc tua, quicquid ago, mihi semper inhæret imago,
Pectore dum vivam non abitura meo.
Occidit heu studii nostri iam fida columna,
Est vacuæ nobis cura relicta domus.
Quis sortem quis non miseretur quæso Parentis,
Qui lecto affixus nocte dieque jacet?

(Hei mihi, quod nescit tardam medicina podagram
Tollere, quod doctâ plus valet arte malum)
En matris iam poscit opem, iam nominat ipsam,
Nunc eget officio, mater amata, tuo,
Ac moesto semper tua dulcis oberrat imago,
Ipsius & de te plurima verba sonant,
Te pater & neptis cupiunt, ego & expeto tristis,
Te quærit dominam cætera nostra domus.
Mugitum ingeminant vaccæ, pecudesq; tenellæ
Te quærunt passim, lanigeriq; greges:
Te focus ac agri sentiscunt morte peremtam,
Non est quæ ponat fercula grata patri.
Te quærunt ægri, viduæ, mendicus, egenus,
In quorum fueras officiosa gregem,
Non me falsa loqui, sit Marlishusia testis,
Editus & multis voce gemente dolor.
Te pietas, te verus amor sobolisq; maritiq; ,
Inprimisq; DEI, perpete laude vehet.
Rebus in aduersis luxit Patientia constans,
Spes & vera Fides, vota precesq; piæ.
Cum patre tu casus tolerasti fortiter omnes,
Ipsius ad nutus obsequiosa statim.
Officium famulæ & servi sæpe ipsa subisti,
Advigilans lateri non abitura senis.
Te fecit celebrem proles numerosa parentem,
Ad vitam huic fueras prævia duxq; piam.
Ergò perpetuò tua laus & fama manebit,
In cruce multiplici cognita sæpe fides.
Ac licet acciderit tuus hic mihi casus acerbus,
Incusare decet non pia fata tamen.
Sic Domino placuit, qui te dedit, abstulit idem,
Te voluit Dominus regna subire poli.

Ergo

Ergo preces inter medias suspiria & ima,
Mox placidus clausit lumina victa sopor.
Post mœstas tali firmas solamine mentes:
Ne flete, ô nostri pignora cara tori;
Nunc æterna tenens lætor, terrena relinquens,
Aspectuq; fruor colloquioq; Dei.
Funus fit munus, fœnus non funus habendum,
Per mortem amisi nil nisi mortis onus.
Præmissi occurrunt vestri fratresq; sororesq;
Et matrem amplexu multiplici excipiunt.
Cum *Paulo, Salomon, Leonhard, gemina & Catharina,*
Ultima & *Elisabeth* sarcina ventris adest.
Hic datur alternas audire & reddere voces,
Hinc angor, languor, exulat atq; labor,
Ergo non nimium fas indulgere dolori,
Nec semper lacrymis ora rigare decet.
Est eadem calcanda necis via publica vobis,
Ad cineres redeat, quod fuit ante cinis.
Expers interitus quia nil sub sole corusco
Nascitur, huic finis, cui fuit ortus, adest.
Ultima sed rursus nos iunget temporis hora,
Perpetuâ dabitur læticiaq; frui.
Tu verò salve genitrix, alti ætheris hæres,
Et frueri æternis, quæ tibi parta, bonis.



THRENODIA

DE OBITU PATRIS CHARIS-
SIMI, POST MATREM, VIII. SEPTI-
manis completis, pie defuncti.



Quam verus vates, pater o dilecte, fuisti,
Efferi ut matris funera mesta vides,
Mens praesaga necis, misera pertasq, vita,
Cum nobis coram talia voce refert:
Ad patriam transi veram Catharina beata,
Non ego te multis passibus ipse sequar.
Luna bis implevit crescentem cornibus orbem,
Cum praedicta nimis vera fuisse patet.
Sic igitur Matrem, genitor dulcissime, ademptam
Temporis exigua parte secutus, obis.
Me miserum; geminis iam vivo parentibus orbis,
Delicias nostras sustulit atra dies.
Quam cuperem canos nunc exhilarare parentes,
Atq, senectutis tollere tristis onus:
Ab quam dulce foret fructus spectare laborum
Ipsos, & studij praemia grata mei.
Nunc gemo fatalem generisq, domusq, ruinam,
Qua tangit nostros impetusa lares.
Tres siquidem PAVLOS DACIANI nomine dictos
Eripuit rigida Parca severa manu.
Fratrem iam parochum, patrem, tenerumq, nepotem,
Spem generis nostri mors inopina tulit.
Sicca negat numeros amenti flumine vena,
Nec cerebrum ingenii vim meditantis habet.
Pracones alios laudum malo esse parentis,
Sanguinis esse ferè laus odiosa solet.

Quanta

Quanta fides fuerit, duris exercita rebus,
Sincera & verus religionis amor;
Quanta & in arthritico fuerit patientia morbo,
Et constans virtus sæpè probata cruce.
Vnum hoc forte rogas: Quis longos ducere soles,
Ac hyemis potuit tempora longa miser?
Visa loquor: scribendo, legendo, canendo fefellit,
Ferventiq; preci tempora certa dedit.
Invidiam, violenta odia ac mendacia lingua,
Atq; strophas varias mente potente tulit.
Ab quam grande malum, fucatos cernere amicos,
Qui tacitè ex omni parte nocere student.
O Deus à nobis Deus has avertito pestes,
Sit turba in proprium hac perniciofa caput.
Calvos & Rasos socios cane peius & angue
Ac omnes reliquos oderat hæreticos.
Quàm multos ipsi gemitus, suspiria & ima
Disidium peperit religionis atrox.
Ergo dissolvi cum Christog; esse volebat,
Cælum suspirans, cælica regna petens.
Annuit his crebris votis Deus, atq; remotum
Sorte ministerii, collocat arce poli,
Qua numen sanctæ venerabile Maiestatis
Aspicit, acceptus nunc quoq; præco Deo;
Et tali affari pullatos voce videtur:
Non mea mors vobis causa doloris erit;
Corpus humum, flatus cælum, fama occupat auram,
Vita mihi Christus, dulce lucrumq; mori.
Sat vixi, genui, legi, docui, toleravi,
Ex pelago reducem portus amœnus habet.
Non obii, sed tantum abii, præmissus ad astra,
Amisus non sum; iam mihi parva quies.

Iam

*Iam, quem contemnit mundus, Deus accipit ultrò,
Nec malè cum gratis, amplius esse sinit.
Tristia terribiles casus portenta minantur,
Prædicunt plagas signa cruenta truces.
Teutonis impendunt oris permultis: pericla,
Bella, fames, pestis: relligiòq; timet.
Occasus eadem spirat, Septentrio & Auster,
Christicolasq; necat gens Othomanigenùm.
Me Deus ante obitum Proavum dedit esse nepotum,
Id quod permultis mors truculenta negat.
Stirpis adhuc nostræ quoq; crescunt semina multa,
Nostra per hæc semper fama superstes erit.
Filius ANDREAS, qui dogmata sacra Borussia
Prædicat, octonam masculam habet sobolem:
Sera per hanc vivet, accepta lampade vitæ
A nobis, divinum munere, posteritas.
Hæc tua verba meo, genitor, dum pectore verso,
Non possum semper non memor esse tui.
Et tua volventi libros occurrit imago,
Quos signat nota litera scripta manu.
Post quoq; inoblita semper mihi mente ferere,
Dum vita in membris, dum calor ossa reget.
Nunc vos aeternum cari salvete parentes,
Felices anima, vivite cælicola.
Corpora iam propè iuncta in terra ventre quiescant,
Spiritus in cæli gaudet uterq; choro.
Donec tempus erit, quo mens socia addita carni,
In socia cernet carne sedere Deum.
Illic delicia summa ac aeterna voluptas,
Gaudia non nostris equiparanda bonis.
Tunc rursus dabitur dextra coniungere dextram,
Et dulces iterum ferre referre sonos.*

Inter-

*Interibi has lacrymas hac & suspiria, uterq;
Care parens, veri pignus amoris habet.*

Scripta à IOHANNÉ DACIANO
Filio.

*Ad Consobrinum Johannem
Dacianum.*

PAUCOS me versus conscribere forte decebat
Defuncti in laudem cum genitrice patris.
At qui multa in eis dignissima laude fuerunt,
Attingenda ego quæ non reticenda puto.
Vtpote salvifica in Christum, quam semper habebant
Conjunctam verâ cum pietate, Fides.
Lecti castus amor, Spes, & patientia rebus
In duris, inopem prompta juvare manus.
Virtutes reliquas, opera & bona carmine docti
Adjicient, vivam sponte secuta fidem.
Sunt ipsis iterum junctis super axe, parata,
Non dubium est, factis præmia digna suis.

Distichon continens

Annun natiuitatis & obitus D. PAULI.

*Quo Die eras natvs (res Mira) prior lbvs annls,
Pastor, es eXequis qVoqVe te Dignls iVMVLatvs.*

Martinus Heiderus Pastor VVil-
lingensis.

A.C. 1520.
die Conuers
Pauli.
A.C. 1594.
eod. die.

B

M N H-



M N H M O ' Σ T N O N

VARIARVM AFFLICTIONVM
ET OPPORTVNAE LIBERATIONIS,

QVAS EXPERTVS EST IN HOC SECVLO REVE-
rendus & optimus senex D. PAVLVS DACIA-
NVS, Ecclesiae Marlishusinae per annos
XLII. Pastor.



*Tempora labuntur, multos iuvenilibus annis
Multa recordari visa vel acta vides.
Plurima nos fugiunt primis spectata sub annis
Et si quem memori mente requiris, abest.
Sic ego dum PAULI grandavi fata parentis
Sciscitor, & quo sit gens Daciana loco:
Ecce senex tumulto datus, & tellure reposta
Ante fuit coniux, fida columna senis.
Sic igitur veteres passim migratis amici,
Et novus adversa sorte probandus erit.
Sorte sed adversa iam perfunctos, & amicos
Vos simul & terras deseruisse iuvat.
Sic finem invenit dura inclementia sortis,
Quae vos ceu solos legerat ipsa sibi.
Tu PATRIARCHALES toleras dum PAVLE labores,
Aeternum memores nos facis esse tui.
Testor & admiror, quam leni mente dolores,
Quam forti tuleris pectore triste malum.
Numine sic ductus sacro testaris, & imples
Esse Iacobaeam multa serenda fide.
Ille viator erat, fugiens truculenta ferocis
Arma Esavi, docta dum iubet arte parens.
Lustra quater servit, dein poscit iusta laboris
Praemia, difficilis nil socer ille dedit.*

Pectora

Pectora dum confert arcto luctantia nexu,
 Israel duro nomine claudus abit.
 Plura tulit; Rachel coniux & Debora nutrix
 Morte viatoris sollicitavit iter.
 Sic Beniaminis raptum, eademq; Iesephi,
 Quot, quantis lacrymis hauserit ille putas?
 Dextera natorum promittit tuta Sichemis,
 Quos pater infelix ense perire videt.
 Sic satis esse putes, dices, nihil adde malorum,
 Et sine iam requie membra levare senem.
 Hoc superest: longo consumtis viribus aeo,
 Iam nihil est pauper quod queat esse Senex.
 Ergo Palestina macie tenuatus in oris
 Regna Phari, pluvia nescia regna subit.
 Singula quid referam? miser est dicive quietus
 Vix unquam potuit funeris ante diem.
Sic fugis in patria mentitos numina Divos,
 Secta Esavitarum quos malesana colit.
 Nil terret frater, titulus nec mater honorum
 Perluadet, Iovam stat voluisse sequi.
 Dum sequeris, tibi LUTHERVS pius atq; MELANTHON
 Certum iter ad Iovam reddit uterq; domum.
 Excultum studiis te LEVCORIS alma vocabat,
 Carmine vocali tum quia clarus eras.
 Inclita Tyrigetum gens te vocat inde, iuventam
 Artibus Arnstadiæ cantibus utq; iuves.
 Lustra abeunt octo, binos adde insuper annos,
 Vota Marcellhusi dum pie Mysta facis.
 Sic brevibus numeris rerum comprandere summam
 Cogor, at hic longus fit brevis ecce labor.
 Funera natorum quot fleverit atq; nepotum,
 Quosq; reversuros non iter esse sinit:

Nodosam tulerit per secula quantapodagram,
 Et morbos, lecto dum cruce fixus erat:
 Quam fuerit mortem satius tolerare, vel ora
 Si mihi sint centum, dicere corda stupent.
 Ultima restabant Catharinæ fata, verendum
 Quae nimium turbant conficiuntq; senem.
 Gratia restabat mundi; heu mala gratia mundi,
 Noxia qua iustis, dat bona saepe malis.
 Iam miser arreptis hinc undiq; vasibus ibat,
 Et fessus lacrymis triste parabat iter.
 Ecce dies aderat, quo sacro Ecclesia catus
 Conuersi Pauli munera lata docet.
 Aetheris immensi surgit lux omnis ubiq;
 Ponitur aëreis aurea scala plagis.
 Vox audita refert: hanc PAULUS adverte quietem,
 Huc ades, & cœli limina latus adi.
 Latus adit, satur annorum, satur atq; malorum,
 Et nunc aeterno floret honore Senex.
 Sic olim dederat quem PAULI nobile lumen,
 Lux eadem terris abstulit ecce senem.
 O Mibi si liceat comitari sanere patrem
 Tam sardo, aut oculis posse notare patrem.
 Nunc abeunt anni ter deni & quattuor ultra,
 Non ulnis, utero clausus, amara fleo,
 Clausus amara fleo nequicquam funera patris,
 Alter POST mensis me quoq; fecit HUMVM.
 Mater abest annis bis denis atq; duobus,
 Et prolem nescit tanta tulisse suam.
 O Mibi si liceat tam forti pectore casus
 Vincere, & obiectis sic superare malis.
 PAVLVS hic exemplis docuit confidere Iova,
 Atq; Iacobaa vincere dura fide:

Mens

Mens mea fide; fide luctator fortis adhesit
Ille Deo, invictus cœlica regna tenet.
Sic ruat hoc cœlum, fremat undiq; pontus & ather,
Sola sit in forti mens mea fixa Deo.
Mors licet illa rapit sociam, licet hos rapit artus,
Quem spero rapiet non tamen illa Deum.
Ille Deus mea semper erit fiducia, tandem
Totus in hoc vivam mortuus ecce Deo.
Mens ita dum in superas se fortiter erigit auras,
Inq; Dei requiem dum petit agra sinu:
Invenit, & nitidum post nubila cernit Olympum,
Inq; Dei laudes iubila leta canit.
Ille precum nostris animis innexa voluptas,
Ille precum virtus discutit omne malum.
Tristia sic misera solabor tempora vite,
Quae si sine bono clauditur, acta sat est.

M. Iohannes Brassicanus Ilmenfis,
 Ecclesiæ Eischlebianæ Pastor.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ BREVIS

CURRICVLI LABORIOSÆ

VITÆ R. D. P. DACIANI.



Allor? an insignem minitantur signa rui-
nam

Plurima? Nulla fides; pietas quoq; nulla;
Sionis

Flumina turbatis miscentur sana lacunis;
Concors dissilijt constantia; didita totum

Exonerant gravitate sua se damna per orbem:

Et, quibus egregiè stabant effulta columnis

B 3

Tem-

Templa, suos amota dolent altaria mystas.

Dive LUTHERE tuo quæ funere viderit ætas
Nostra, quot immergi concussa carina procellis
Cœperit, heu nimium cum Relligione paterni
Et cuiusq; lares accepta clade queruntur.

Iam quibus & licuit voces haurire docentis
HEROIS, super astra suum qui tollere famam
Noverat, ingenio, calamo, virtute superna,
Voceq; Romanum gnarus constringere monstrum,
His quoq; crudeles immittit iniqua ministris
Parca manus, illos hausit iam protinus omnes
Sancti pendebant quotquot PROFITENTIS ab ore
Magnanimi V A T I S, quo non felicior alter
Sive aperire dolos V E R B O seu dicere V E R V M.

Heu rapuit dignis caput ô venerabile canis

Patria P. D. Atropos, heu P A V L V M placida sed morte perentum;
Marckbi- Præbuit huic humiles nato M A R C B I B R A T A cunas
bart A. C. Francica (conversi cum sunt sollennia Pauli
1520. Fausta, reportavit cuius de nomine nomen)
Quisquilijs spurcata nigris, atroq; veneno,
Quo sacra Ausonius Christi necat agmina præsul.
Nec tamen his densis finit obriguisse tenebris
Hunc, pia quem Mystam quondam fore cura benigni
Prospicit, & Zelo tuiturum vera Tonantis
Numina, sed sacrae lucis splendore serenat.

1534.
Ipthofium
proficisci-
tur.

Namq; sub ætatis primæ florentibus annis
I P T H O V I U M chari puerum misere parentes.
Hic, vbi iam firmo faciebat poplite gressus,
Prima elementa suo didicit monstrante magistro,
Atq; ibi, Papa tuo, præh, horrifono vlulatu
Tentabat demens summum placare parentem.
V Vartzbur- HERBIPOLIS vidit dein limina docta lycei:
gum.

Rep-

Reppulit Orbilij tamen hunc censura ferocis.

Pōst **BAMBERGA** suis iuvenem fovet æquior ulnis, Pambergā.

Excitum veræ virtutis & artis amore;

Iamq; novos casto sentiscit pectore motus,

Spiritus intus agit melior, surgente **LUTHERO**,

Cum sua divinis evulgat dogmata libris,

Noscendi verum iuvenem sacer occupat ardor,

Linqueret ut reprobi tum fana profana Baalis.

Hinc avet, **HALA**, tuos sitiens audire docentes,

Imbibit Aonios ubi multa fruge liquores,

Redderet harmonicas ut amœna voce figuras.

Hinc & **PARTHENOPEN** accedit; at inclita egenum

Non tulit, integrum quamvis ibi perferat annum,

Multiplices docilis pauper toleransq; labores.

Attamen hunc fatis melioribus accipit ultrò

BRVNOPOLIS, iuvenis pressi solata dolorem.

Huius ut agnovit, quæ sit sollertia, virtus

Ingeniumq; sagax, **GLANDORPIUS**, arte canendi,

Svavibus hunc sacræ iussit concentibus ædis

O **MARTINE** tuæ moderari scepra Magister.

Excipit invidiæ multus quem morsus, at istam

Fortis despexit, divino & robore vicit,

Ventus ut in tenues fumum citò dissipat auras.

Sed **NIGER**, & docto pollens **GORLICIVS** ore

Iuvit, & eximij **GLANDORPI** cura fidelem

Protexit **PAVLVM** patrio complexa favore.

Cernere sublimis tandem lubet ora **LUTHERI**

Candida, & eximij divina oracula vatis

Aure bibisse iuvat, magniq; **MELANTHONIS** artes

Mente notare avida; En gremio sacer **ALBIS** amico

Hunc recipit, solidaq; virum pietatis in arce

Collocat, ut vero nosset propiora fateri.

P. D. ex pa-
patu ad Lu-
theranis
mum con-
vertitur.
Halam Sa-
xonum.
Magdebur-
gum.

1539.
Bruusui-
gam.

Glandorpi-
us Gymnas-
sarcha Br.
P. D. Can-
tor Brunf.
1542.
Ant. Niger
Medicus
Brunf.
Mart. Gorli-
cius Super:
Brunf.

P. D. Luth.
Phil. disci-
pulus.

Iamq;



P.D. Cantor
VVireberg.
A.C. 1544.

Iamq; BVGENHAGIO notus charusq; verendo,
Voce Sionea numeros promente canoros
Vfibus ille sacris condixit adactus opellam.

P.D. Cantor
Arnstadenfis
1545.

Interea AETROPOLIM, magno suadente PHILIPPO,
Integritasq; fidesq; viri cui cognita, nostris
Infert se patriæ peregrinus sedibus hospes:
Quem prius accitum, toto mandante Senatu
FRÖBENIVS, poscit CANTORIS munere fungi:

Nuptiæ.
1547. Do-
min. Septua.

Tum CATHARINA datur virgo KRANCHFELDIA CONIUX,
Hunc Septena virum sudantem viderat æstas,

P.D. Pastor
Marlishuf.
1552.

Atq; exantlantem proh tædia quanta laborum!
Eximit hoc tandem Deus atro pulvere Paulum,
Et MARLISHVSI vocat ad sua sacra Ministrum,
Ordinat & Myrtam celebris VVITBERGA vocatum;
Pascat ut ætheria commissas voce bidentes,
Millia Christiadam patriæ jungat ut æthræ
Plurima. Nec certè caruerunt vota secundis
Ista suis olim successibus: ille quaterna
Lustra bis exegit, binos ac insuper annos,
Christicolùm populo Domini mysteria pangens
Relligione pia pietateq; relligiosa,
Et latices puro deducens fonte Sionis,
Humanæ procul ô dixit, procul este lacunæ:
Sola Fides homines gratos nos esse Tonanti
Efficit, hanc solus præstat cum flamine CHRISTVS,
Creditis; hoc uno scandetis tramite coelum.

Iamq; emensus erat moestæ propè tempora vitæ,
Quando coarctatum nodosa, virumq;, senemq;
Atterit & lacerat, pungitq; foditque podagra,
Ut tandem, promptus sua quamvis pressus obiret
Munia, commissam mala deseruisse cathedram
Cogeret, & lecto fixum tortura ligaret,

Et

Et tandem totis depastus viribus æger
Pastorale pedum templumq; regennis habenas
Linqueret, at iussus, genero socioque laborum.

Tristibus hinc caræ mox funera spectat ocellis
CONIVGIS, ingrato solus miser orbe relictus,
Quæ ter quæ decies laudata prole parentem
Fecerat, & tristi DACIANVM sorte levârat
Fida, novem per Olympiadas, geminas & aristas.

Perforat hæc imas Senis anxia cura medullas
Elumbis miseriq; senis, quem gratia mundi
Omnis destituit, sed quem non gratia IOVAB
Deserit: ut decies septenos attigit annos
Quattuor adjunctis, verò pietatis honore
Nobilis, angelicis hunc post pia fata ministris
Evectum, placidis suscepit IOVA lacertis,
Non dubitante fide & prece molliter expirantem.

Fortunate Senex, quæ te produxit in auras,
Lux eadem vivis placide decedere vidit:
Gaudia sic tandem lætus, sic tuta capessis
Ocia, post seræ tristissima fata senectæ,
Ocia non ullis tibi depereuntia seclis,

Iam tandem tibi parta quies, non ulla remordent
Dira venena tuum caput, omnibus illa triumphis
Lux potior, justo statuit quæ summa supremum
Aetherios inter vates sine fine trophæum.

*Recordationis piæ ergò Scripta à M. Iohanne
Schuccelio Conrect. Scholæ Arnstat.*

ELEGIDION SCRIPTVM

In Chariss. Avia piè defunctæ memoriam.

Sic mihi tristitiam video luctumq; perennem,
Morte Aviaë rursus tristia fata queror.

C

Vix

Obitus con
iugis P. D.
13. liberi, 7.
filij & 6. fi-
liæ.
Vixit cum
coniuge an-
nos 47.

Aetas P. D.
74. ann.

Mors P. D.

Vix agitur, solis motu, iam tertius annus,
Cum fatis tristi funere cessit avus:
Et Lachesis Avix charæ iam stamina rupit,
Quæ nunc effossa concipietur humo.
Hæc Mater matris, quæ me produxit in auras,
Ille parens, vivo quo genitore, patris.
Si quicquam lacrymæ possent, suspiria, luctus,
Si quid & humidulas ungue secare genas;
Multorum votis avia esset cara superstes,
Quos juvit, dura sorte premente, lubens.
Inclita si pietas tristi nos morte levaret,
Viveret, & miseris fida columna foret,
Ipsa licet variis fortunæ agitata procellis
Hic fuerit, nullo est fracta dolore tamen:
Fida Deo mansit, dilecto fida marito,
Auxilium petiit voce gemente DEI.
Hinc etiam in Christo placidè obdormivit, & amplam
Hic liquit laudem de pietate sibi.
Ergò cum reliquis natis, tibi avuncule PAULB,
Iunctaq; natabus, coelica regna tenet,
Illam quo merito cuncti dignamur honore,
Sic quoq; sperantes claudere mortis iter.

ÆNIA ELEGAEIVSDEM.
IN OBITVM AVI DILECTISS.

Dvm riget hybernus, Cauris stridentibus aër,
Et gelidam Boreas spirat ab axe nivem,
Solq; in frigentes factus declivior Austros,
Per Caprum gelidos urget anhelus equos!
Eheu funus Avæ, quo non mihi charior alter,
Nunciat è patrio litera missa solo.
Iam mæstus sedeo, tristi suspiria ducens
Pectore, ubi lacrymis immaduere genæ.

Ista dicata tuo cineri sint carmina, quamvis
Quod lectu dignum non videantur opus.
Erga te saltem labor hic testetur amorem,
Sapius atq; obitu me ingemuisse tuo.
Tu decus & fulcrum, generis tu nobile nostri
Lumen eras, à quo lata propago sumus.
Te Brunsviga suum, te Vuittembergæ vocavit
Cantorem, iussu, magne Lutheræ, tuo.
Quid dicam Arnstadium, quod munere vidit eodem
Teq; sua magna laude præesse schola:
Bis quatuor lustris, binisq; fideliter annis,
Gessisti magna laude Ministerium:
Audiuit quando te Marlshusia felix
Pastorem, Iowa prospiciente, suum.
Nam velut exiguus primum sine murmure rivus
Per pingues parvo flumine serpit agros
Mox aliis etiam magis allabentibus auctus
Crescit, & abruptis flexibus arva rigat;
Sic tibi perpetuo studium pietatis in omnes
Fundenda, magno crevit honore, locos.
Non deerant mores & docti pectoris artes,
Iudiciumq; sagax eloquiq; nitor.
Quot tibi sunt hausti noctesq; diesq; labores,
Quot mala quot vitam, dic, tenuere tuam.
Ipse magis Lybica numerus reputandus arena,
Quam, quæ es perpeffus singula nota forent.
Septem te lustris, heu, dura podagra gravavit,
Tollere quam potuit nulla medela fuit.
Quid referam mentem damnis venientibus aquam,
Fortis eras, liber crimine, ferre mala.
Liberet aut relevet Deus hæc, patientia vel sit,
Orabas, nunc sunt cuncta repleta tibi.

Corporis exuvijs igitur dilecte solutum

Nunc, te Ave, perpetuis lator inesse bonis.

Non illic morbus, non te premit agra senectus,

Pramissa amplexu te CATHARINA beat.

Salve stellantis cæli novus incola, Salve,

Latus perpetuis nunc, Ave, vive bonis.

à Iohanne VVeisen juniori,

Nepote.

AVO ET AVIAE DILECTISS.

Vita quid est hominis? somnus, bulla, umbra vaporq;
Plena labore, malis, nescia stare diu.

Hoc satis apparet, dum vos, mihi pectora cara,

Mors ultra terris non superesse finit:

Sed placuit Domino, vos hinc ex mole malorum

Raptos, optata posse quiete frui.

Est super in terris, virtus, laus, fama, fidesq;,

Et pietas ullo non moritura die.

Est super & soboles laudata, & turba nepotum,

Per quos durabit nomen honosq; genus.

Vos o maiores cari salvete parentes,

Nos quoq; dum jubeant fata benigna sequi.

Johannes Beringer Haslebien-

sis, Nepos.

F I N I S.



Corporis



7/10/11

Die

... ..

... ..

... ..

7/10/11



AB: 153123

Fr. 11-12. fo. 1. alle



90


V. 17

Fig. 259



15. 7. 1740
1655. 1017.
17. 15. 01.





78

Ε P I C E D I A
MEMORIAE PIAE
REVERENDI, PIETATIS
ZELO, DOCTRINAE ET VIRTUTIS
LAVDE CONSPICVI SENIORIS, D. PAULI
DACIANI, *ἡμῶν μακαρίτη*, Ecclesiae MARLISHVSI-
ANOS XLII. Pastoris, qui emeritus & dierum satur
Coniugem chariss. CHATHARINAM:


Quae prid. fest. Andreae Apost. Anno Christi 1593. ve-
ra in Christum fide instructa placide obdormi-
vit, Anno aetatis 68.

Binis mensibus exacte completis secutus est, & in
CHRISTO placide expiravit MARLISHVSI
Prid. Convers. Pauli. A^O CHRISTI 1594.
A^O aetatis 74. Cum in uno coniugio vi-
xissent ambo 47. annos:

Ab amicis & quocumque posita:

Illa, desideratiss. parentum beatis manibus pa-
rentando, ultimumque debite pietatis officium
praestando, suo & reliquorum haeredum no-
mine extare voluit

IOHANNES DACIANVS
FILIVS.


I E N A E
TYPIS TOBIAE STEINMANNI.
ANNO MDXCIV.

